



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinae, 1603

Vita S. Dominici, Ordinis Prædicatorij Primi institutoris: ex ea quæ est per
F. Theodoricum de Appollida eiusdem Ordinis conscripta. Desiit ab
humanis anno Dominici Natalis 1221. Qui fuit Honorij 3. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

VITA S. DOMINICI, ORDINIS

*Fide Notat.
C. Baron. in
Martyr.
Rom.*

*Prædicatorij Primi institutoris: ex ea quæ est per
F. Theodoricum de Appollida eiusdem Ordinis
conscripta. Desit ab humanis anno Domini
Natalis 1221. qui fuit Honorij 3. Summi Pontifi-
cis, 5. agens ætatis suæ annum primum supra
Quinquagesimum.*

*4. August.
Patria &
Parentes e-
iust.*

PRAESIDENTE Romæ in cathedra S.
Petri magno patre Domino Alexandro, e-
ius nominis tertio, & Frederico huius no-
minis primo imperij habenas moderante, fuit
in Hispaniæ oppido Callaroga, Oxoniensis dice-
cesis, anno seculi illius 1170. vir quidam, Felix
nomine, ex nobilissima Gulsmanorum prosapia;
qui ducta in matrimonium Iohanna, clari in-
primis generis foemina, tres ex ea suscepit libe-
ros; quorum duo primi literis imbuti, & vitæ in-
tegritate conspicui, ac sacerdotio initiati, se to-
tos Christi servituti & proximorum saluti ma-
ciparunt. Tertius verò, cui ex nutu Domini, Do-
minici nomen impositum fuit, hand sinè præsa-
gio futuræ sanctitatis, tanquam iubar quoddam
longè præstantissimum in mundum prodijt: &
splendore planè admirabili eruditionis pariter
& sanctitatis, cæcas mortalium mentes illustra-
uit; Cum mater eius sancto hoc foetu gravida es-
set, videre sibi visa est catulum vtero gestare, ar-
dentem ore faculam ferentem; egressumque ab
vtero, totum mundum flammis ab ore eius pro-
rumpentibus illuminantem; quin etiam & ma-
tri eius spiritali, nobili cum primis matronæ,
nato iam puero & sacro baptismo lustrato,
luculenta in eius fronte stella apparuit: cuius
immo-

*Viso matris
eius gravi-
da.*

immodico splendore totus orbis irradiabatur.

Porro mater puerpera cum accuratè domi-
filium enutrirer, & letabunda ad incrementa per-
duceret, iacenti aliquandò in cunis apum exa-
men adfuit, & circa os volitans, linguam eius
diuinæ sapientiæ melle affluituram indicavit.

Itaq; vixdum infantia annos egressus, exemplo
piorum parentum templum crebrò adire, miro
feruore in precibus persistere, lectuli quoque
mollitiem in ea ætatis teneritudine sæpè relin-
quere, nudaque humo infantilia allidens mem-
bra, iam tunc de cælesti disciplina sedulò medi-
tari. Erat in Ecclesijs assiduus, psalmos cum Cle-
ricis promebat, hymnos concinebat, sacris my-
sterijs deuotus assistebat, & Christi ministris ac
sacerdotibus mira alacritate & gaudio serui-
bat; denique hæc & alia in altero ætatis septe-
nario ita obibat, vt sub tenello vultu veneranda
quædam animi canities abdita videretur.

Igitur parentes cum cernerent admirandam
in sancto puero simul cum ætate gratiæ accessio-
nem, studiorum causa Valentiam eum destinâ-
runt; quod ea Academia præ cæteris omnibus
& præstanti magistrorum doctrina, & discipu-
lorum frequentia celeberrima haberetur. Itaq;
prudens adolescens non segnitiem sectatus, sed
rebus friuolis & ineptis, quibus ea ætas diffue-
re solet, contemptis, breui & ingenij facilitate,
& labore indefesso, & assiduo precationis stu-
dio, liberales disciplinas affecutus est; quib. ta-
men non ita multum tribuit; sed mox vt ab hu-
mana philosophia, ad Christianæ præstantiam,
cui tota mente inhiabat, ocyus perueniret, ad
fontem Theologicæ sapientiæ se contulit; cui

*Examen apum
circa os pue-
ri volitat.*

*Exercitia
pietatis eius
in tenera æ-
tate.*

*Mittitur Va-
lentiam stu-
diorum ergò.*

*Superatis
studijs Phi-
losophicis,
4. annis
Theologiæ
dat operam.*

X. annis abstinet à vino.

toto quadriennio tanta animi contentione & studio insudavit, ut penè noctes insomnes duceret, quietisque tempora vigiliis largiretur. Atque ut è fonte sapientiæ salutaris largius potaret, decem annis vino, in quo est luxuria, castitatis amator penitus sibi interdictum voluit.

Dura fames in Hispania.

Et quia incenso erat in Deum amore, non potuit non proximum, quem vult Deus in se diligere, vehementer amare. Itaque quidquid in Deum nullius rei egentem non poterat, id totum in proximum incredibili sanè charitate conferebat. Cum Valentia daret operam literis, omnem ferè Hispaniam immanis opprefferat fames. Deficiebant præ fame sitique pauperes, miserabiles valdè gemitus pupillorum & viduarum audiebantur: nec erat qui miserorum calamitatibus movebatur. Inter hæc Dominicus perfectionis sectator egregius, ut pro sua facultate pauperum multitudini subveniret, libros & omnes res suas distraxit alacriter, preciumque in pauperes expendit, suoque exemplo alios ad tantam benignitatem stupentes prouocavit egregiè.

Didac. Oxoniensis Episc. admodum insignis.

Per id tempus Didacus Ecclesiæ Oxoniensis antistes, vir & sacrarum literarum peritia, & generis nobilitate, & morum inprimis honestate insignis, tota in id virtute incumberebat, ut errantes mortalium animos ad rectum salutis iter omni ratione reduceret. Qui ut primum de celebri & odorifera Dominici fama multa cognovit, eum ad se accersitum, Canonicum regularem sua in Ecclesia constituit. Ibi tunc vir diuinus librum, qui Collationes Patrum inscri-

Facit Dominicum in sua Ecclesia Canonicum.

inscribitur, studiosè legendum suscepit, deditq;
operam, vt lecta, intelligentia compræhenderet, affectu seniret, effectû & re ipsa fortiter exequeretur. Ex illo namque præcipuam cordis puritatem, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem, vñctione magistra, præclare hausit: atque in profundam aded sui cognitionem venit, vt quanquàm cunctis esset virtutibus ornatissimus, sui tamen deprimendi vbiq; locum & occasionem captavit; prorsus vt se omnium abiectissimum, peccatorumque maximum existimaret. Ex hoc verò studio omnibus aded charus euasit, vt inuitum & fortiter reluctantem vices Prioris loci illius administrare compulerint: tum verò magis satagebat, tanquàm lucerna super candelabrum posita, & ciuitas super montem; omnibus sese exhibere integerrimæ vitæ speculum: consummateque sanctitatis exemplar.

*Collationes
Patrum studio-
sissime le-
git.*

*Fit Supprior
licet inuitus.*

Eo tempore feruens desiderium salutis animarum in illi^o pectore mirificè crescebat; prorsus vt haud existimaret se verum Christi membrum esse, si non eius exemplo totum se lucrandis animabus manciparet. Quid igitur? Cor eius mira pietate refertū illud spectabat imprimis, vt afflictorum rebus, ac præcipuè eorum qui pondere peccatorum pressi sub graui sarcina gembant, & consilio & ope subueniret. Quotiescunq; enim in consideratione turpitudinis peccati mortalis versabatur, (versabatur autem quotidie) toties obortis lachrymis peccatorum miseriam deplorabat, & votis à Domino specialibus flagitabat, vt ad eorum procurandam salutem sibi & gratiam & auctoritatē conferre

*Magnum illius
studium
iuuandi proximos.*

ferre dignaretur. Nec fuit pio frustratus de-
derio.

*Conuertit hæ-
reticum S.
Dominicum.*

Alphonfus Castellæ Rex, Didacum antistitem
ad legationem apud Marchiam obeundam euo-
cabat. Is diuinæ erga se & Dominicum prom-
dentia ignarus, eundem legationis suæ socium
assumit. Vbi ventum est Tolosam, & Dominicum
cognouit ciues hæreticorum Albigenſium frau-
dibus deprauatos, ipsumque suum hospitem ea-
dem correptum peste animaduertit, spiritu in-
gemiscens, statim blandis colloquijs eius se in
familiaritatem insinuauit: hominemque multa
tum affabilitate, tum ratione erroris cōiuctum,
ad catholicæ fidei veritatem reduxit. Fuit hic
primus manipulus, quem diabolo ereptum ad
aream Domini reportauit. Expeditis autē apud
Marchiā regijs negocijs, Episcopus Didacus ad
Romani Pontificis curiam cum suis profectus
est, ut à functione pontificali (quemadmodum
sperabat) absolutus, se totum conuertendis ani-
mabus vnā cum Dominico impendere posset.

*Didacum E-
piscopus fit
monachus
Cisterciensis.*

Sed ea spe frustratus, cum Cisterciense coeno-
bium quoddam in via inuiseret, monastico se
habitu induit, & aliquot eiusdem ordinis mo-
nachos secum assumpsit, ut hausta eorum disci-
plina ardentius se ad proximorum salutem pro-
curandam componeret.

Prætergressi montem Pessulanum Abbates
duodecim eiusdem ordinis à Pōtifice Innocen-
tio contra Albigenſes hæreticos missos offende-
runt; qui tum fortè consilia inter se varia agita-
bant, quibus nefandam pestem opprimere pos-
sent. Ij comperto Didaci aduentu, multo gaudio
ipsum accersunt, honorificè accipiunt, consi-
liumque

liumque petunt, qua potissimum via modoque
 hæreticorum impietati occurrendum statuatur.
 Quibus ille sine vllis ambagibus, vt erat vir mi-
 rëgnarus, Quod me, inquit, facere cernitis, hoc
 facite. Moxque familia & equitatu atque appa-
 ratu, quem habebat copiosum abire iussis, pedes
 ipse in opus Euangelij cucurrit, & humilitate,
 modestia, mansuetudine, deprauatos hominum
 mores ad normam sanctioris disciplinæ reuo-
 care institit. Sequuti sunt & alij duodecim, no-
 vissimè omnium S. Dominicus; qui præ cæteris
 omnibus maximarum virtutum splendore co-
 ruscabat. Cùm enim non pauci pro Orthodoxæ
 fidei defensione libellos conscriberent, & ipse
 Dominicus suum quoque libellum auctoritati-
 bus & diuinis rationibus munitum offerret, i-
 demque cum hæretici cuiusdam libello apud
 Fanum Iouis igni traderetur, hæretici libello
 flammis absumpto, ipsius Dominici ex igne pro-
 siliit, & secundò deindè ac tertio in ignem inie-
 ctus, scriptoris sui sanctitati & Christianæ fidei
 veritati præclarum resultu reddebat testimo-
 nium. Stupebant omnes, & pij quidem lætaban-
 tur, impij verò execrabili errore relicto, corde
 compuncto ad veritatis agnitionem reuerteban-
 tur. Eodem tempore Dominicus monasterium
 quoddam in loco, quem Prulianum vocant, in-
 stituit: vt in eo depauperatorum nobilium filix,
 quæ pestiferum hæreticorum virus (quibus prius
 fuerant traditæ nutriendæ & erudiendæ) attra-
 xerant, sanctissimis Catholicæ fidei disciplinis
 imbuerentur. Interea Didaco vitæ munere san-
 ctissimè perfuncto, Dominicus eius institutum
 tanquam Dux & antesignanus viriliter prosecu-
 tus

*Optimara-
tio hæreticos
in viam re-
uocandi.*

*S. Dominicus
libellus con-
tra hæreses
conscribitur,
ab igne ledi
non potest.*

*S. Domi-
cus instituit
Virginum mo-
nasterium
Prulianum.*

tus est : Albigenſiumque hæreſim totis viribus oppugnandam atque extirpandam ſuſcepit. Verba eius ſacularum inſtar ardebāt. Opera admirando pietatis ſtudio relucebant, & hæreticorum perfidiam redarguebant.

Detrahit ſibi calceis obuiam procedit hæreticis.

Hæreticum ſua humilitate, & patientia conuertit.

Accidit, vt celebris admodum diſputatio cum hæreticis inſtitueretur; ad quam cum loci epiſcopus multa cum pompa iturus eſſet, Dominicus prudenter decernens filios ſuperbie non faſtu elationis & oſtentione, ſed humilitatis ſtudio expugnandos eſſe, detractis ſibi calceis, epiſcopū vt idē faceret, hortatus eſt. Aſſeſſit antiſtes; cumque de itinere incerti obuium quendam hæreticum haberent, rati Catholicum eſſe eius ſe ductui commiſerunt; qui eos in ſyluam quandam callidè pertraxit; vbi ſpinarum aculeis grauiter ſauciari, perfidi malitiam demum ſenſerunt. Tum Dominicus nihil ea iniuria motus: Conſidite, inquit ad ſocios, chariſſimi, quia certa nos de cælo manet victoria & triumphus, cum peccata noſtra ſanguine expiuntur. Cernens autem veterator ille tantam in viro ſancto patientiam, ilicò abiurata hæreſi ſupplicem ſe Dominico ſanandum tradidit; exiſtimans fieri non poſſe, vt à tanta vitæ integritate recta in Deum fides abeſſet. Cum autem vir diuinus ſalutis animarum ſtudio vehementer incenſus crebrò diſcurreret, & aquam quandam euangelizandi cauſa traijceret, nauta importunè admodum à ſeruo Dei denarium pro naulo exigere inſtitit. Cumque is mercedem regni cælorum promitteret, & miſer ille vili penderet atque acrius vrgeret, vt vel cucullum relinqueret, vel denarium ſolueret: vir ſanctus ſublatis ad cæ-

ad cælum
que in te
no illic i
colli iuſ
ſpargen

Cum
verbis, t
lerati da
da conſi
inſidijs,
cognita
dum int
cædem
ces: An r
ris? Qu
peremu
breui c
ferretis
ro præc
retis:
ſinereti
ne volu
vita om
proxim
erat.
tate ſu
ret, &
lis acci
rere de
nem m
vt eius
ſubleua
meret.

Deco

ad cælum oculis parumper intra se orauit; mox-
que in terram despeciens denarium nutu diui-
no illic iacentem vidit; quem protinus à nauta
tollī iussit, & sic demum ad læta euangelij fata
spargenda alacer abscessit.

Miraculum.

Cum multo tempore apud Tolofanos tum
verbis, tum exemplis hæresim expugnasset, sce-
lerati dæmonum satellites de nece illi inferen-
da consilia captarunt. Itaque positis certo loco
insidijs, aduentum eius præstolabantur. At ille,
cognita eorum malitia, cantans & alacer gra-
dum intulit, eorumque furorem vltro etiam ad
cedem propocauit. Qua re stupefacti carnifi-
ces: An non, inquiunt, mortis horrore tu affice-
ris? Quid factururus, si nos te ad mortem abri-
peremus? Quibus ille: Rogarem, inquit, ne
breui compendio mortem mihi celerem ad-
ferretis, sed paulatim singula membra fer-
ro præcisa oculis meis contemplanda obijce-
retis: atque ad extremum euulsis luminibus,
sineretis ita mutilatum corpus in suo sangui-
ne volutari, vel prorsus pro vestro arbitratu
vita omni priuaretis. Nec minus pro salute
proximorum extrema quæque subire paratus
erat. Cum enim quendam hæretica prauit-
ate subuersum ad fidem reuocare contende-
ret, & ille res vitæ degendæ necessarias ab il-
lis accipere se diceret, eaque de causa eis adhæ-
rere deberet, vir sanctus toto pectore homi-
nem miseratus, seipsum vendere propoluit,
ut eius in tanto periculo constituti inopiam
subleuaret, & sub peccato venundatum redi-
meret.

*Insidias hæ-
reticorum et
mortem vir
sanctus nihil
metuit.*

*En ardentis-
simum patien-
di pro Chri-
sto desiderium.*

Decem annis vir beatus in diuersis Narbo-
nensis

nenfis prouinciæ locis hæreticam perfidiã strenuè oppugnauit, animarumque salutis totus addictus, multas interim contumelias, multas angustias, magnum sui contemptum & abiectiõnem pertulit; nullis tamen fractus iniurijs, nullis fatigatus laboribus, à sollicitandis mortaliū animis & ad veritatis agnitionem reducendis auelli potuit. Congressurus quandoq; cum hæretico, scripta quædam fidei documenta in charta eidem tradidit: vt de obiectis maturè deliberaret. Ea nocte cum reliquis fortè ad ignem confidens, chartulam viri Dei protulit, & alij discutiendam tradidit. Conferunt illi inter se multa, & alijs alia atque alia asserentibus, quidam inquit; Mittatur in ignem scedula, vt veritas comprobetur. Mox proiecta in ignem, illæsa indè profiliit. Indè & secundò & tertio pari ratione veritatem explorârunt; & chartæ quidẽ, illis stupentibus, nihil flammæ incẽdium obfuit; illi verò obduratis in perfidia animis persistentes, quæ hæreticorum omnium est pertinaçia, rem silentio tegere nitebantur: sed miles quidam qui coram interfuit, insignem miraculũ ad Catholicorum notitiam perduxit.

Hisce alijsque quamplurimis virtutum miraculis, quæ omnia referre nimis longum foret, vir Dei celeberrimus factus certatim ad honores & dignitates ab Ecclesiæ prælatis expetitus est: fuitque ei à tribus cathedralibus Ecclesijs dignitas episcopalis oblata; quam ille constanter semper repulit, vt liber ab omnibus, salutis animarum, cui se totum consecrauerat, incumbere posset. Cũ apud Carcaſonam demandatas sibi Episcopi vices accuratius exequeretur, & die

*Charta ab eo
conscripta
exuri nõ po-
teſt.*

*Tres Episco-
patus re-
cepit.*

*Corpus eius,
vi Spiritus*

& die quodam ad monasterium, cui Castris nomen, diuertisset, ingressus ecclesiam, dum pro sua consuetudine precationis studio attentius incumberet, fuit cum ipsa mente, corporis pariter sarcina è terra eleuata; & cælum inter, & terram mirabiliter suspensa. Nec prophetico caruisse spiritu putandus est, vtpotè qui multa, cælesti lumine illustratus, multò antè futura prædixit: & quosdam etiam cum à corporis tum ab animæ exitio sempiterno liberauit.

*in oratione à
terra eleuatur.*

Cum apud Tolosam hæretici quidam à magistratu comprehensi, & scelerum conuicti, extremò tandem supplicio afficiendi essent, Dominicus secretorum Dei conscius quendam in ijs conspicatus: Hunc, inquit ad aulæ officiales, referuate. Deindè comiter eum & blandè compellans: Scio, inquit, fili, scio tardè quidem, sed tamen quandoque fore te virum bonum & sanctum. Res planè stupenda. Dimissus ille, viginti serè annis hæreticam prauitatem mordicus sectatus est, sed tandem voluntaria abiuratione detestatus errorem, cum Ecclesia sancta nò modò in gratiam redijt, sed Prædicatorum insuper institutum complexus, cursum vitæ cum fide absoluit.

*Prophetiæ
spiritu claret.*

Erat ijs temporibus Simon princeps cum primis illustris Montis fortis, qui cum magna animi beneuolentia, honore denique & reuerentiâ virum Dei prosequeretur, dedit illi, summa hæredum omnium voluntatè, castrum insigne, quod Cassauuel siue Fanum Iouis appellatur, aliaque complura, vnde se suosque sustentare potuisset. Porro Tolosanus antistes, zelator

Aa

fidel

Romam proficiscitur, ut ordinis sui fundamenta iaceat.

Visio Innocentij Pontificis.

fidei eximius, sextam decimarum omnium partem ei donauit: ut libros sacramque suppellectilem sibi suisque compararet. Obtulere se etiam illi duo Tolosani, frater Thomas homo facundus & graciosus, & Petrus de Salare, qui insignes ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est. Tum verò, qui communem cum B. Dominico vitam agebant, coepere se ad religiosorum institutum ex professo sectandum componere. Anno igitur millesimo ducetesimo decimo quinto, cum Romæ generale omnium patrum celebraretur Concilium, Fulconi Tolosano antistiti eò cõtendenti, Christi minister Dominicus se comitè adhibuit, ut eius & auctoritate & gratia nixus, Ordinis Prædicatorij institutum Innocentio tertio, qui tum summum illud honoris fastigium obtinebat, confirmandum offerret. Et primò quidem Christi Vicarius nonnihil sese opponere visus est; sed proxima nocte idem Pontifex insomnis sibi videre visus est, Lateranensem ecclesiam grauem minitari ruinam. Cumque terrore perculsus Pontifex consilium tanto malo opportunum inquireret, videt ediuersò virum Dei Dominicum accurrentem, suisque humeris totam illam ruinofam fabricam sustentantem. Eam visionis nouitatem prudens Pontifex admirans, ilicò quid sibi vellet sagaciter animaduertit; Oblatas itaque preces hilariter admisit, & pium propositum commendauit. Horrabatur verò, ut ad suos rediret fratres, communicoque cum eis consilio, regulam quandam approbatam deligeret, quam Ordo inchoandus sectaretur; atque ita ad ipsum rediens, confirmationem Ordinis pro voto reportaret. Absolutio

luto igitur generali capitulo reuersus ad suos
vir Dei, Pontificis verba eis enarrauit. Illi in-
uocato Spiritu Sancto Regulam beati Augusti-
ni, vnanimiter elegerunt, adiunctis quibusdam
arctioris vitæ constitutionibus. Erant tunc fra-
tres numero plus minùs sedecim, qui, gratijs (vt
æquum erat) superis actis, Tolosæ in Ecclesia S. *Tolosæ pri-*
Romani, quam Fulco eius ciuitatis Episcopus *mum mona-*
illis attribuerat, monasterium extruxere: eodẽ *sterium Do-*
Pontifice & operam & opes in ipsum enixè con- *minicanorũ.*
ferente.

Paulò post Innocentio III. è viuis sublato,
Honorius Apostolicæ dignitatis sedẽ obtinuit:
qui, suppliciter hoc petente Dominico, sanc-
tam iam antè instituti formulã, Apostolica au-
thoritate confirmauit anno Salutis millesimo
ducentesimo decimosexto, & Dominicus non *Mittit S. Do-*
vno oraculo cælesti admonitus, fratres suos *minicus fra-*
quaque paucissimos in varia orbis loca di- *tres suos in*
misi: vt fata Euangelij longè lateque disperse- *diuersa Or-*
rent, & nouo fœtu nouum ordinem quam maxi- *bis loca.*
mè multiplicarent.

Porro pater ipse sanctissimus cùm ad Sarace-
nos penetrare decreuisset, anno 1217. Matthæum *Primus idẽ*
Abbatem instituit qui cæteros gubernaret; cu- *que postre-*
ius tamen nominis prælatus alius deinde nul- *mus Abbas*
lus extitit. Sed ea profectio diuinitus impedi- *apud Domi-*
ta fuit, & fratribus alijs aliò atque aliò missis, *nicanos.*
ipse Dominicus Romam venit, vbi concionandi *Romæ vir*
munere magna cum laude & opinione sancti- *sanctus duos*
tatis haud vulgari aliquamdiu fungens, duos *mortuus ex-*
è mortis seruitute in vitæ libertatem asse- *citat.*
ruit.

Per id tempus Honorius Pontifex, visa viri

A 2 2 in

*S. Domini-
cus Romæ
monasteria
virginum
reformat.*

*Cubiti alti-
tudine vi-
spiritus è
terra eleua-
tur.*

in curandis animabus industria pariter & vigi-
lantia, ei commisit vt sacras virgines per diuer-
sa Urbis loca dispersas, & multum à pristino il-
lo rigore ac vitæ sanctitate alienas vnum in lo-
cum congregaret, eisq̃ue leges præscriberet,
quibus & collapsa sanctimonialium foeminarum
disciplina restauraretur, & Deo sacratæ virgi-
nes ijsdem legibus haud inuita colla subderent.
Præstitit vtrumq̃ue vir diuinus, quamquam non
sine molestijs, egregiè. Omnes enim urbis mo-
niales, à disciplina claustrali inueteratæ liber-
tatis consuetudine transuersum actas, vnum in
monasterium conuocauit, easq̃ue mira lenitate
ad sanctiorem disciplinam reuocauit. Cumq̃ue
omnibus in vnum congregatis in domo (vt vo-
cant) Capitulari, præsentibus tribus purpuratis
patribus, Hugolino Ostiensi, Stephano de Fossa
noua, & Nicolao Cardinali, Tusculano Episco-
po, verba salutis earum auribus suauissimè in-
ferret, ecce vir quidam magno eiulatu irruens
repentino clamore haud mediocriter cunctos
exterruit. Illis verò sciscitantibus quid calami-
tatis esset, respondit: Nepotem Stephani Cardi-
nalis ex equo lapsum, vitam cum morte permuta-
tasse, Nepoti nomen erat Napuleon. Ea re pro-
fus inopinata Stephanus attonitus, animo con-
cidit. Dominicus verò precibus & lachrymis
multorum comotus, ilicò abiit sacram hostiam
Deo pro incolumitate iuuenis oblaturus. Cum
autem iam arq̃ astaret, immèso perfusus lachry-
marum imbre cunctis qui aderant spectantibus
stupentibusq̃ue cubitu vnus altitudine è terra
eleuatus est. Tanto enim spiritus ardore ad ex-
lestia ferebatur, vt terrenum corpus & graue
eiul-

eiufdem ſpiritus vi ſurſum attolleretur. Oblationis deindè miniſterio piſſimè peracto, recta ad corpus defuncti, Cardinalium & virginum caterua ſequentè, abiit, & ſublatis in cælum manibus iuuenem in Chriſti Ieſu nomine incolumen ſurgere præcepit. Res ſtupenda: qui vita functus erat, & conquaſſatis miſerè membris exanguis iacebat, protinus ad vocem ſanctiſſimi Patris caput membraque erexit, & ſanus planè atq; incolumis domum abiit. Intererat huic ſpectaculo, monaſterij, quod Mariæ trans Tyberim dicebatur, Abbatiffa cum ſacro virginum cœtu; quæ licèt antea ad Patris obedientiam ægre ſe adduci paſſa fuiſſet, tunc tamen adeò animo immutata eſt, vt nihil tam durū, nihil molli & delicatæ naturæ tam aduerſum eſſe putaret, quod non libens ſalutis cauſa aſſumeret: & ſe totam ſuaque omnia Patri Dominico curanda permitteret. Itaque fælicibus auſpicijs & magno bonorum omnium gaudio atque exultatione ſacer ille virginum cœtus monaſterij Mariæ Trans Tyberinæ ad S. Sixtum translatus eſt; quo in loco ipſe Dominicus cum ſuis ad illum uſq; diem domicilium habuerat: & tunc Honorij Pontificis munificentia ad S. Sabinæ Eccleſiam prædicatorio muneri aptiorem commigrauerat. Igitur anno reſtauratae Salutis 1219. Abbatiffa cum ſuis ſororibus numero quatuor & quadraginta ad ſanctioris vitæ initiū, habitum ſimul cū obedientia integra à S. Dominico ſuſcepit, eiufque in verba ſanctiſſimè iurauit, Et hoc quidem primum fuit ſacrarum virginum Ordinis iſtius monaſterium, eiufdè Patris opera & ſtudio ſanè florentiſſimum. Virgines enim Deo dicatas aſſi-

Nepos Stephani Cardinalis mortu⁹ excitatur.

Primum virginum Dominicanarū monaſterium Romæ.

dua cælestis disciplinæ dulcedine pascēbat, easque non tam seueritate quàm consolatione, atque ubi opus erat, miraculorum virtute in officio continebat.

Octauo ab ingressu virginum in monasterium istud die, cum in frequenti sanè populi auditorio sacrum ordiretur sermonem, ecce demoniaca quædam horribili voce clamare cepit: Scelestē, Scelestē, quatuor iam tuis imposturis mihi præripuisti. Illo autem silentium demoni imperante, sed nihil efficiente, tandem cum cerneret importunis inimici clamoribus concionem dissipatam iri, Crucis signo sublata manu edito: In nomine, inquit, I E S V Christi præcipio, ut protinus ex eas, & Dei creaturam eiusdem I E S V Christi sanguine redemptam deseras. Continuo mulier horribili corporis distensione compacta, magnam carbonum molem cum sanguinis copia euomit: redditaque sanitati, Christo sese dicit. Quo miraculo reliquis sororibus plus quidam timor & reuerentia incussa est; quæ libenter deinceps sanctissimi Patris monitis sine vlla recusatione obtemperabant. Proferebat tunc lætos admodum atque vberes animarum fructus Romana vinea; quam vir sanctus incredibili charitatis ardore excolendam susceperat. Sunt quidem multa & varia in illo admiranda, quæ nos breuitatis causa silentio præterire cogimur. Sed hoc vnum satis eximiam viri sanctitatem testatam facit, nosque meritò ad æmulationem virtutis incitare debet; quòd vna charitas ita sanctissimum pectus eius sibi vendicauerat, ut nihil tam terribile, nihil tam laboriosum posset acci-

*Crucis signo
demonem
ex obsessio
corpore su-
gat.*

*Nota chari-
tatem exi-
mij viri.*

accidere, q̄ pro salute proximi refugeret; nihil tam charum aut preciosum offerri, quod non illicò charitati postponeret, & eius causa alacriter exponeret. Hoc assiduis precib. & lachrymis à Domino contendebat; hoc feruentibus concionibus & perfectissimis studijs agebat; hoc præclaris miraculis Domino cooperante complebat; ut animas Christi sanguine redēptas, ab impotenti dæmonū tyrannide liberaret, & miseranda valdè seruitute oppressas, in Christianæ disciplinæ libertatē vindicaret. Et quidem hāc vnā in rem tota mente adedò excubabat, ut nihil de castino sollicitus cætera penè omnia neglexisse videretur; certus q̄ is qui anes cæli pascit, & agri lilia splēdidissimo vestit ornatu, fieri nō posse ut suis operariis, in Ecclesiæ vinca nullo stipendio laborantibus, necessaria ad exigendā vitam alimenta deesse patiatur.

Matt. 6.

Cum Romæ apud S. Sixtum centum fratres cum illo sub Euangelica degerent paupertate, die quodam missi fuere ab eo duo, Ioannes Calaber & Albertus Romanus, ut fratribus omni alimonia destitutis eleemosynam peterent. Illis à manè ad tertiam vsque horam frustra laborantibus, & iam re infecta domum petentibus, mulier quædam occurrens, vnum illis panem obtulit; ne, inquit, planè inanes & vacui reuertamini. Eo accepto pane, mox vir quidam candidus & pulcherrimo aspectu ab eis stipem petijt, ac precibus vehementer institit, ut in subsidium paupertatis suæ aliquid conferrent. Illi supplicantis importunitate victi, quanquam extrema inedia confecti, quendam banem illum tribuunt, & sic planè vacui

*Nota insignē
in pauperem
quendam benig-
nitatem.*

A a 4 do-

*Dominicus
fratres pas-
cuntur.*

domum abeunt. Interea Dominicus, qui rerum ab illis gestarum seriè in spiritu probè cognoverat, iussit fratres ad mensam adesse. Quibusdam verò negantibus quidquam omnino quod apponeretur suppetere, & aliis pusilla fide hesitantibus & cunctantibus vir sanctus omnibus sedere iussis, solita pietate oculos atque manus in cælum sustulit; & ecce, illo precibus adhuc intento, adolescentes duo cum panibus candidissimis adsunt, & singulis fratribus singulos administrant, atque ad oblati fruendum benignè inuitant. Omnib⁹ igitur panes sumentibus, Dominicus ad ministros conuersus: Ite, inquit, & vinum è dolio à Domino infusum nobis promitte. Res mira. Cadus antea vacuus optimo vino redundans, potum præbuit suauissimum; qui deinde post biduum iussu Dominici vnà cū ciborum reliquiis pauperibus ex integro depròptus fuit. Hæc & permulta alia tum virtutū exempla, tum miraculorum signa, Deo cooperante, beatus Pater Romæ edidit.

*Dominicus
Lutetiam
venit.*

Inde Bononiam.

Porro anno restauratæ salutis 1219, Lutetiam veniens, in cœnobio S. Iacobi, fratres inuenit triginta, regulari disciplina & virtutum omnium odore mirificè florentes. Quibus deinde Deo commēdati, Bononiam migravit; vbi iam tum apud S. Nicolaum magnus erat cum F. Reginaldo fratrum numerus; apud quos ad supremum usq; vitæ diem cælestis militiæ stipendia fecit, multaque cum admiranda sanè opinione sanctitatis gessit; exhibebat siquidē sese vir sanctissimus cunctis, verum viuamque religionis exemplar & virtutum omnium speculum lucidissimum; atque Bononiæ, instar oliuæ fructiferæ in domo

domo Dei fructus protulit suauissimos; cuius excellentissimam vitæ sanctitatem nemo prodignitate vnquam explicare poterit. Et primò quidem laudibus mansuetudinis, humilitatis, ac præcipuè charitatis fuit ornatissimus. Quid dicam? Proprij corporis domitor egregius, alij tanta benignitate, modestia ac suauitate cōsulebat, vt nō rarò infirmioribus, Canonis præscriptum relaxaret, eisq; materna quadam indulgentia succurreret; cū tamen in suo capite minima quæque rigidissimè puniret. Aliis duobus ad mensam ferculis ministratis, ipse vno contentus abstinentiæ virtutem sectabatur. Præclaro sanè exemplo, non inepto sermone, vir diuinus suos ad inediae labores excitabat. Corporis enim cura, & victus vestitusque ratio, exigua admodum ei erat. Lecto neque domi, neque foris vsus est vnquam, sed tam prospera quam aduersa valetudine humi cubabat; scamno, storea aut crate straminea ad refocillanda membra nimia lassitudine oppressa pro delicijs fruens; ita tamen, vt assiduò ferrea catena lumbos succinctus, lasciuientes corporis motus opprimeret, mentemque sine intermissione in studio celestis disciplinæ conseruaret. Adeò namque orationi semper intentus erat, vt nullis vel molestijs, vel repentino strepitu, vel irruente calamitate ab eius attentione auelli posset.

*Summa vita
eius austeritas.*

Nocte quadam antè aram prostratum, malus demon vt inturbaret, grādem è tecto Ecclesiæ deiecit lapidem, tāto impetu, vt tota Ecclesiā circumsonaret; eaque industria, vt caputij eius extremitatem contingeret. Sed vir Dei nihil eo casu commotus, nihil periculo absteritus,

*Demon eius
precib, insidiatur.*

summa animi tranquillitate in precibus perficit, & hostem tanta constantia confusum, magnaque affectum ignominia, recedere compulsit.

Dæmonem videt fratribus insidiantem.

Nota singula dæmonis responsa.

En quem locum diaboli sibi vendicat, & quem odit.

Quodam verò tempore, vir sanctus, cum intenta vigilia pro sua suorumque salute excubaret, vidit teterrimum cacodæmonem per omnia monasterij loca peruagantem: quem compellens ait, Quid hic cruenta bestia ita circuis? Tum ille: Hic, inquit, lucro meo sedulus incubo. Cui Dominicus: Quod, inquit, lucrū ex dormitorio reportare potes? Respondit dæmon; Hic ego necessarium illis somnum nō raro aufero, efficioque ut vagis imaginibus delusi tēpus quietis amittant, ac postea cunctabundi surgant; interdum etiam maximo meo lucro, pigritia oppressi à diuinis se officijs subducant. Nec celsos animos ad libidinosos sollicitare motus; ut ijs polluti vberiore diuinæ gratiæ influxu fraudentur. Inde vir Dei de templo interrogat, quidnam tam sancto in loco lucraretur. Respondit ille; Id ago, ut sui immemores vanis cogitationibus agitentur, solisque labiis Deum honorent, ac tandem radio affecti procul ab amore Dei abripiantur. De refectorio verò sciscitant; Ecquis, ait dæmon, non plus, quis non minus? De colloqui verò loco interrogatus, cachinnatus dixit: Hic locus totus meus est. Hic risus existit; hic vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Postremò ad locum (ut vocat) capitularem perductus, cum horrore quodam refugit: Iste, inquiens, locus mihi tartarus est. Quidquid enim alibi lucratus sum, hic iacturam patior. Ita miser ille, cogente illum sancto

sto viro, malitiæ suæ detexit fraudes; vt iustus
quilibet studiosè caueat, ne laqueis eius irreti-
tus capiatur.

Fuit autem Pater beatiss. cum charitatis, tum
paupertatis amator præcipuus; prorsus vt obla-
tas etiã vltro possessiones non semel repudiaue-
rit, cauitq; diligenter, ne possessionibus institu-
tū suum obscuraretur. Itaq; ne pungens diuitia-
rum sollicitudo & anxius rerum labentiū amor
sanctitatis fructum aut prædicationis semē op-
primeret, paupertatem euangelicam, quæ, reie-
cta sollicitudine, de crastino nō cogitat, ample-
xus est, mandauitq; filiis amplectendam. Panem
non semel ostiatim mendicauit, suoque exem-
plo cæteros ad eandem animi humilitatem pro-
uocauit.

*Paupertas
eius.*

Anno Dominicæ incarnationis 1220. à con-
firmatione instituti Dominici quarto, Bono-
niæ in primo generali (vt vocant) capitulo, cui
beatus Dominicus præfedit, consilio S. Spiritus,
perpetuo statuto cautum est, vt ab omnibus re-
rum terrenarum possessionibus nudi perfectam
Christi paupertatem sectarentur. Hisce alijs-
que rebus ad ordinis sanctitatem constitutis,
Dominicus qua erat humilitate vigiliam suam
alteri tradere, seque Magistri officio abdicare
constituit. Sed fuit communi Patrum omnium
consensu ab ea cogitatione protinus reuocatus,
& Ordini summa cum auctoritate præfectus.
Prima ei cura semper fuit, vt omnibus modis
animas CHRISTI sanguine redemptas,
misereque peccatorum coeno foedatas, diui-
ni verbi nitro perpurgaret, & impoten-
tem dæmonis Dominatum frangeret. Inerat
enim

*Primum Ca-
pitulum vel
congregatio
Patrum ge-
neralis.*

*Magistratu
se abdicare
nitiur Do-
minicus.*

*Est salutis
animarum
pietissimus.*

enim ei mira quædam & penè incredibile salutis omnium æmulatio; prorsus ut corpus in quoduis periculum atque in seruitutem perpetuam libenter offerret, quo proximorum salutem ac libertati consuleret. Inerat etiam ei constantissimi animi æquabilitas, adeò ut ne sermonem quidem ullum semel ab ore matura deliberatione prolatum irritum fieri pateretur. Erat præterea externa illi vultus iucunditas, ac mira serenitas, qua facillè omnium sibi, qui eum aspicerent, conciliabat amorem. Nemo illo apud socios aut proximos aut fratres humanior & communior, nemo iucundior vel utilior. Cavebat autem vir sanctus in omnibus studiosissimè, ne cui vel in re leuissima offendiculum præberet. Post itineris laborem hospitium petens, ad fontem aliquem prius sitim leuare solebat, ne eius, ex itineris labore accensæ occasione, largius bibendo notam incurreret. Oratio eius munda & accepta fuit in conspectu Dei, quam cum sine intermissione Domino offerret, nihil non ab illo impetravit; prorsus ut cuidam ipse factus fuerit, nunquam se à Domino quicquam postulasse, quod non pro voto adeptus sit.

*Vide quàm
diligenter vir
sanctus ab omni
offendiculo & spe-
cie malicia
uet.*

*Efficacissime
eius preces.*

Neque satis illi fuit intenta supplicatione dies & noctes transigere, perpetuis vigiliis carnem macerare, inedia affligere, sed etià quamuis innocentem & virginèam multis verberibus & castigationibus attriuit. Singulis enim noctibus ter catena ferrea in dorsum suum diutissimè sæuiebat; primò quidem pro seipso, tum pro peccatoribus in mundo degentibus: tertio pro animabus pœnas in Purgatorio lætentibus. Oculi eius assiduo lachrymarum imbre infusi

*Singulis noctibus
ter se
catena cadit.*

infusi & Christi numen ad misericordiam infle-
 sciebant, & peccatores etiam durissimos emol-
 liebant. Honorum diuitiarumque contemptor
 adeò strenuus fuit, vt oblatum sibi Cizeranen-
 sem episcopatum non modò recusaret, sed pa-
 lam etiam testaretur, se potius ad vltimos terræ
 fines migraturum, quàm vlli eiusmodi electio-
 ni consensurum. Mundus illi totus crucifixus e-
 rat, & ille mundo; adeò vt nulla re magis quam
 sui contemptu & abiectione gaudere videretur.
 Interrogatus cur in Carcassona dioecesi liben-
 tius moraretur, quàm in Tolosana, respondit:
 Quia in Tolosana honore me passim prosequun-
 tur: In Carcassona verò dum multi suis me ca-
 lumnijs oppugnant, præclaram ibi exercendæ
 virtutis materiam inuenio. En verum mundi
 contemptorem, Christi que germanum discipu-
 lum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem
 confusione contempta.

*Recusat E-
piscopatum.*

Galat. 6.

*Gaudet con-
temptu sui.*

Hebr. 12.

Denique cum in omni sanctitate perfectus
 cunctis pater fulgeret virtutibus, nequaquam
 eum prophetiæ dono caruisse, multa, quæ futu-
 ra prædixit, testantur: Itaque diuinorū conscius
 arcanorum, cum obitus sui diem cælesti præsi-
 gnificatum oraculo certo noscet, vt constitutæ à
 se fratrum societati Ordini que vniuerso quàm
 optimè prospiceret, postquam Bononiæ secun-
 dum iam Capitulum (vt vocant) generale ma-
 gna celebritate absolutum esset: Hugolinum O-
 stiensensem antistitem, qui tum apud Insubres le-
 gatione Pontificis Maximi nomineungebatur,
 & perquam honorificum Prædicatorum Ordini
 se semper præbuerat, inuisit. Apud quem cum
 aliquamdiu versatus fuisset, & nonnulla cum
 eo in

*Claruit Pro-
phetiæ spiri-
tu.*

*En quā stri-
ctè paupertas
votum
seruari vo-
luerit.*

eo in

eo in rem ordinis totius transegisset, postremo sub finem mēsis Iulij Bononiam reuersus, lethalem in febrem incidit; Vocatis itaque ad se fratribus, tale testamentum condidisse fertur; Haec sunt, inquit, fratres & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo; Charitas sit in vobis continua, humilitatem sectamini; Paupertati voluntariæ studete. Et ne paupertatem euangelicam, firmissimum instituti sui fundamentum, inimica Deo carnis sapientia aliquandò euerteret, quanta potuit seneritate prohibuit: omnipotentis Dei & suam ei maledictionem terribiliter intentans, qui prædicatorum ordinem, quem vel maximè ornat paupertatis professio, terrenæ substantiæ puluere ausus fuerit obscurare.

*Placidissimè
moritur.*

Indies porrò febris ardoribus ac dysenteria pariter increscētibus, cum sentiret vir sanctissimus corporis dissolutionem iam imminere, ecclasticis primùm sese muniens sacramentis, suos dein desolatos admodū ac mærentes piè consolans ac celesti Patri commendans, placidissimè demùm efflauit animam: Angelorum suauiter modulantium frequenti exercitu, in cælos (quemadmodum fideles complurimi per reuelationem didicerunt) abductum. Sacrum verò corpus eius fuit ingenti omnium luctu Bononiæ iuxtà filios suos fratres Prædicatores (vti viuens petierat) proprijs manibus Hugelini Ostiensis Episcopi, sedisque Apostolicæ legati humatū; illustribus admodum insigne miraculis; quibus iugiter tota Italia increbrescētibus, Anno salutis 1233. Indiēt. 6. Pontificatus Gregorij Noni, anno 6. ab obitu B. Dominici 13. honorificè

*Translatio
eius.*

rificè ac reuerenter, ex priori monumento odorem suauissimum, summeque delectabilem eructante, in marmoreum fuit translatum sacrophagum. Biennio verò post idem Gregorius solenni ritu honores ei, vt reliquis diuis, cōcessit, Nonis Augusti: pridie diei obitus eius: quibus anniuersariam eius solennitatem in Ecclesia agipræcepit. At SS. D. N. Paulus Quartus Rom. Pont. in hunc retulit diem; ob festum Beatæ Mariæ ad Niues, quod in Nonas Augusti incidit.

MARTYRIVM S. AFRÆ, ANTE A
Meretricis; ex eo quod est apud V. P. Laurent.
Surium. Passa est Anno Dominici Natalis 303.
Marcelli Papæ 7. Diocletiani Imperatoris vigesimi.

Adscribitur
catalogo SS.
Dies obitus
eius 8. Idus
Augusti.

Vide Tomo
2. Annal. C.
Baron.

NARCISCVS Episcopus, cum sæuiente in Christianos persecutione, cum Felice Diacono suo Augustam Vindelicorū venisset profugus, nesciretq; quo diuerteret, ad Afræ meretricē ingressus est. Illa existimās viros, honestate conspicuos, non nisi turpitudinis studio eò deflexisse, ilicò coena opiparè instructa, fūco meretricio de more ornata, ad flagitiosus actus sese composuit. Porro antistes cum ad sumendum cibum accessisset, & primum toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se componeret, illa, cuius omnis orandi consuetudo non modò ignota, sed ne visa quidem esset, insolita viri pietate stupefacta, inquit quis esset. Cumq; Christianorum eum Episcopum esse cognouisset, mox salutarī pudore suffusa, & timore pariter correpta, ad eius se pedes

5. August.
Narcissus Episcopus venit Augusti.

Antè cibum
orat more
Christiano.